



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XV. De Sagittariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

duella permittebant; nam quamvis inter eas duellum susceptum fuisse reperitur, tamen id nunquam iure factum fuit: quare in Hispania Reges nostri Catholici Ferdinandus, & Elizabeth anno 1480 omnino duella prohibuerunt, adjunctis poenis pugnantis, & mediatoribus pugnae, & Patris, ut incurrant notam proditorum; & bonorum amissione plebantur sisco applicandorum; & pugnantes poenis corporalibus afficiuntur, ut si provocans ad pugnam adversarium occiderit, seu vulneraverit, capitali supplicio puniatur; l. 10. tit. 8. lib. 8. Recopil. In Gallia etiam Regis edictis duella prohibita fuisse, probat Ruardus ad. in duella, pag. 63. usque ad 81. quibus prohibitionibus addenda sunt elegantissima Theodorici Regis verba apud Cassiodorum lib. 3. var. cap. 24. ibi: *Illud praeerea vos credimus admonendos, ut non in vos, sed in hostem saevire cupiatis: res parva non vos ducat ad extrema discrimina, acquiescite iustitia, qua mundus letatur: cur ad monemachiam recurratis, qui venalem judi-*

cem non habebitis? Deponite ferrum, qui non habebitis inimicum; pessime contraparentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriose moriendum. Quid prodest homini lingua, si causam agat manus armatae: aut unde pax esse creditur, si sub civilitate pugnatur? Quare etiam inter improbos homines duella nec hodie radicitus extirpare, tam ecclesiastici, quam saeculares Principes, nec evellere quiverint, non ideo tamen ea iusta, & honesta credi debent.

Supra tradita assertioni opponi possunt textus in cap. 1. de treug. & pace, junctam Cironii interpretatione ad eundem titulum, quam retuli, & rejeci in ejus commentario: & textus in can. 17. Concilii apud Vermer. in illis verbis: *Si qua mulier se proclamaverit, quod vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem; & si verum fuerit, separentur, & illa faciat quod vult.* Cujus veram interpretationem dedi in cap. 3. de frigidis & maleficiatis.

TITULUS XV

De Sagittariis.

CAPUT I.

Innocent. III.

Artem illam mortiferam, & odibilem ballistariorum, & sagittariorum adversus Christianos, & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate prohibemus.

NOTAE

COMMENTARIUM.

^a Innocent. III. In prima collectione, sub hoc tit. cap. unic. legitur Innoc. II. & recte addendumque est in Concil. Lateran. generali, can. 29. ubi ita praefens canon habetur: *artem autem illam mortiferam, Deo odibilem, ballistariorum, & sagittariorum, adversus Christianos, & Catholicos exerceri de cetero sub anathemate prohibemus.* De hoc Concilio nonnulla adduxi in cap. 1. de treuga & pace.

^b Sagittariorum. Sagitta dicitur jaculum, quod arcu mittitur, cap. 2. de delict. pueror. l. final. ff. de jure inveni. l. 2. C. quae res exportari. hinc sagittarius, qui sagittas intorquet. Suetonius in Vespasiano, ibi: *Syriacum praemisit exercitum, hic quadragesima millia sagittariorum.* Omnium optimi sagittarii sunt qui fugientes, & averfi jaculantur, & laedunt perinde ac adversi. Lucanus.

Orior, & missa Parthi post terga sagitta.
Plura de sagittis, & sagittariis D. Petrus de Abauza ad hunc titulum, ubi recenset nationes apud quas bella cum sagittis aguntur.

^c Christianos, & Catholicos. Non enim omnes Christiani sunt Catholicos; nam qui in haerem prolapsi sunt, Christiani dicuntur, non vero Catholicos, ut fuse probavi in can. 22. Concilii Iliber.

licet in primo hominum statu arma tantum.

Manus, ungues, dentesque subere.
Et lapides, item silvarum fragmina rami.
Lucretius lib. 5. de rerum natura. l. armorum 41. ff. de V. S. l. 3. §. 2. ff. de vi & vi armat. §. recuperandi, in fine. Instit. de interdicit. proinde Horatius satyr. 3. canebat.

Unguibus, & pugnis, de hinc sustibus atque ita porro

Pugnabant armis, qua mox fabricaverat usus.
Tamen crescente hominum malitia, & dominandi cupiditate, cum bella crebra essent, arma saeviora inventa fuerunt, quibus nullum saevius, crudeliusque fuit genus armorum, quam sagittarum, & ballistarum: tum quia sagittae veneno essent illatae, ut referunt Aelianus lib. 9. hist. animal. cap. 15. Dioscorides lib. 6. cap. 20. Rhodiginus lib. 23. lect. on. cap. 10. Ovidius l. de Ponto, elegia 2. & lib. 3. Tristium, eleg. 8. Lucanus lib. 3. ibi:

Tinxere sagittas errantes Scythiae populi.

Sidonius in panegyrico. Quare aliquando Reges legitimis armis certare satius duxerunt, quam sagittis, aut ballistis uti. Quare Guillelmus Britto lib. 2. Philippidos, refert Philippi Augusti temporibus incognitos fuisse arcus, & ballistas:

Francigenis nostris illis ignota diebus

Res

*Res erat omnino, quid ballistarius arcus,
Quid ballista foret.*

Ballista autem sunt catapultæ, sive machinæ quædam, quibus in hostes vibrantur, & emittuntur gravioris ponderis lapides ad eos contundendos. De his Synesius *epist.* 133. ibi: *Non mihi otium aliena arti mentem applicandi; accingor enim ut ex turribus jacula emittentes valida lapidibus, graves machinæ petras mittentes, instrumenta ad adjiciendos lapides.* Cicero *II. Tusculan.* ibi: *Ut ballista lapidum, & reliqua tormenta eò graviores emissiones habent, quò sunt contenta, atque obdura vehementius.* Josephus *lib. excidii Hierosol.* *Talentis pondere erant lapides, qui mittebantur.* Egeppus *lib. 3. cap. 12.* Alii telis, alii balistis hostem urgebant. Illustrat. Lipsius *lib. 9. polyorgeticon, dialog. 3.* Sed & ferè trabes ejusmodi tormentis maximo impetu in mediam hostium aciem contorquebantur. Silvius Italicus *lib. 1. de bello Punic.*

— Adductis stridula nervis

*Phocæis effudit vastos balistamoraes,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli,
Erratam excutiens ornum, media agmina
rumpit.*

Hoc nomine veniunt tamen tormenta bellica ad muros diruendos, aut concutiendos, ut refert Livius *lib. 21.* dum Saguntæ oppugnationem describit. Ovidius *1. Tristium, eleg. 2.*

*Nec levius laterum tabule seriuntur ab undis,
Quam grave ballista mœnia pulsat onus.*

Seneca *in Hippolyto:*

*Non arma sæva miles approbat manu,
Nec torta clausus fregerat saxo gravi
Ballista portas.*

ejusdem generis fuerunt arietes. Cicero *lib. 1. officior.* ibi: *Qui postis armis ad Imperatorum fidem confugerint, quamvis aries murum percusserit, sunt recipiendi.* Utebantur verò ballistariis, & sagittariis vario genere telorum, catheis, & fallaricis, & sagittis. Differentiam tradit D. Isidorus *lib. 18. orig. cap. 7. & 8.* quædam erant in modum sphæræ, aut cylindri, quæ propter gravitatem longè non ferebantur. Illis pennas addiderunt Cretenses, ut velociores facerent. Fuerunt etiam quadrelli ideo dicti, non ut quidam putaverunt, quòd arctius quadrarent arcubus, & ballistis; sed quia cuspidem quadratam habebant. Eorum meminit Guillelmus Britto *lib. 2. Philippidos,* ibi:

*Nec tamen interea cessat ballista, nec arcus,
Quadrillos hic multiplicat, pluit ille sagittas.*

Sed hæc tandem desierunt, non tam vi præsentis constitutionis, quàm quia graviora, & sæviora instrumenta reperta fuerunt tormenta videlicet ignea, vulgò *tyros, y alabucces,* quibus pilæ plumbeæ ceperunt mitti.

His suppositis ut ad veram præsentis textus interpretationem perveniamus, Glossa & commu-

niter repetentes existimarunt in præsentis prohiberi artem ballistariorum, & sagittariorum, id est sagittis, & ballistis uti in bello injusto contra Christianos, non verò in bello justo, in quo utrum apertè pugna, an insidiis vincatur, nihil ad justitiam interest, ut ait D. Augustinus *in cap. Dominus 2. 23. quest.* & ut Poëta cecinit:

Dolus, an virtus, quisquis in hoste requirat.
Homerus:

Confice sive dolo, sive strieto cominus ense.

Unde docent artem hanc ballistariorum, & sagittariorum non prohiberi ab Innocent. II. in bellis justis, quia tunc ut aliis armis, ita & his mortiferis uti licet. Verùm hæc communis interpretatio sustineri nequit: tum quia absolute Innocent. II. improbat artem istam in bellis contra Christianos motis: tum etiam, quia si bellum injustum erat, alia potiori ratione, videlicet injustitiæ, nec his armis, nec aliis contra Christianos, immò nec contra Paganos uti potest. Hac omisâ solutione Torreblanca *de magia lib. 2. cap. 39. ex num. 24.* Martinus Delius *disquisit. magic. lib. 3. cap. 1. quest. 4. sect. 4.* quos sequitur Barbosa *in præsentis, num. 2.* asseruerunt, sagittarios, seu ballistarios esse homines federatos cum dæmone, qui illis vicissim pollicetur, se adfuturum, ut quem longissimè distitum volent, infallibili ictu trajiciant; & ita artem hanc nefariam improbare Innoc. in præsentis. Sed nec hæc sententia sustineri potest ex ratione proximè adducta; nam si ars hæc malefica esset, & ex pacto cum dæmone inito procederet, nec eam contra Paganos, aut hæreticos uti liceret. Tandem Cironius *in parat. ad hunc titulum,* docet in præsentis ballistas, & sagittas prohibitas non fuisse, sed potius quoddam militum genus his utentium, qui impii, & crudeles admodum erant, Ruptariique dicebantur, de quibus egi *in cap. sententiam, nec clerici vel monachi.* Sed cum expressè agat Innocentius II. de ballistariis, & sagittariis, non est ratio, cur de Ruptariis eum accipiamus. Quare his omisiss, veriùs dicendum credo, in præsentis textu non damnari omninò artem ballistariorum, & sagittariorum, sed tantum caveri, ne cuiquam liceat artem eam exercere adversus Christianos, & Catholicos; ut enim *in cap. ita 6. cap. quod olim 12. de Iudeis,* prohibitum est sub excommunicatione arma, ferrum, lignamina ad infideles contra Christianos deferre; ita etiam in præsentis sub eadem pena prohibetur artem ballistariorum, seu sagittariorum contra Catholicos exercere, eas fabricando, & ad inimicos fidei deferendo, ut eas ad externos exportari vetant Imperatores *in l. 2. C. que res export.* vel eas jaciendo contra Christianos, ut ita validiores barbari reddantur.